



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Biennii Peripatetici**

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

**Kretz, Marquard**

**Herbipoli, 1749**

§. 1. Quid sint Denominativa, & quotuplicia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

in objecta sua eodem modo feruntur; ergo. Accedit, quòd, licèt subinde eodem conceptu diversa objecta inter se non connexa, & eodem nomine prolata cognoscantur; intellectus tamen illa, quibus nomen ejusmodi applicat, distinctè cognoscat; ergo hærere ambiguus non potest. R. 2. Si quis verò cum *Compt. Disp. 39. Log. Sect. 1. n. 6.* & cum *Arriaga Disp. 10. Log. Sect. 1.* tueri velit, ad conceptum æquivocum sufficere, si repræsentet plura, ut plura quomodocunque, tunc utique dabitur æquivocatio in mente, siquidem nihil impediatur, quominus cognitio hoc modo plura repræsentare valeat; sed hæc locutio juxta *Arriagam* impropria est.

## ARTICULUS II.

*De Denominativis & Concretis.*

## §. I.

*Quid sint Denominativa, sive Paronyma,  
& quotuplicia?*

361. **D**ico 1. Denominativa strictè dicta juxta Aristotelem *de Antepredic. cap. 1.* sunt, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu. h. e. Denominativa dicuntur illa, quæ ab alio derivata eandem significationem retinent, & secundum finalem terminationem solum differunt. Sic *albus* derivatur ab *albedine*, à *justitia* *justus*, à quâ sola finali terminatione discrepat. Terminus derivatus  
dici-

dicitur *Denominativus*; terminus à quo derivatur, appellatur *Denominans*; terminus, cui denominativus tribuitur, *Denominatus* nuncupatur. *Adverte* prætereà imò τὸ *Denominatio* hïc non sumitur pro mera nominis impositione, ùt si quis relicto nomine Pauli, assumeret nomen Joannis; sed importat hïc formam afficientem quodammodo subjectum, illudque immutans, formalémque effectum suum, qui denominatio dicitur, illi communicans. v.g. ut *paries* denominetur *albus*, necesse est, ut albedo tanquàm forma afficiat parietem, illumque immutet, & ex non albo faciat album, illique tribuat suum effectum formalem, qui est denominatio albi. 2do P. Joan. Bapt. de Benedictis, & P. Heimbach ad terminum denominativum strictè talem benè requirunt, ut denominationem suam habeat à forma accidentali, & distincta, ùt *justus* à *justitia*; aliàs etiam *homo* àb *humanitate* dictus, terminus denominativus foret.

362. *Dico* 2. *Denominativa* latiùs sumpta, prout iis frequenter utuntur Philosophi, sunt illa, quæ alteri denominationem tribuunt, sive unum derivetur àb altero sive non. Est autem denominatio varia, *Physica*, *Metaphysica*, *Logica*, *Intrinsèca*, *Extrinsèca*, *Physica*, & *Moralis*. *Physica* est, quæ habetur a forma physica realiter à subjecto vel denominato distincta; talis est denominatio *albi*, quæ habetur àb *albedine* à re, cui inhæret, realiter distincta. *Metaphysica* est, quæ habetur à forma

rea-

realiter à subjecto indistineta; sic *homo* denominatur àb *humanitate* non realiter àb *homine* distinetà. *Logica* præcipuè illa dicitur, quæ habetur à forma, quam *Logica* specialiter considerat; sic *Universale* denominatur àb universalitate. *Intrinsæca* est, quæ habetur à forma, quæ realiter est in subjecto denominato, ut *albedo*, quæ est in *pariete*. *Extrinsæca* est, cùm forma realiter est extra subjectum, v. g. *homo visus*. *Physica*, prout morali opponitur, est, quæ habetur à forma realiter existente, absque respectu ad æstimationem hominum, aut mores; talis est denominatio *Colorati*, *albi*, *ignei* &c. *Moralis* est, cujus forma vel est aliquid ad mores pertinens, & à libera dependens voluntate; vel non physicè ampliùs, sed moraliter tantùm, & secundùm hominum æstimationem existit, v. g. Denominatio *Principis*, *Prætoris* &c. quæ habetur àb electione aut volitione Regis, seù Magistratùs, quæ non ampliùs physicè, sed moraliter existit. Item denominatio *amici*, vel *hostis*, quæ habetur àb amore, vel odio, quæ pertinent ad mores. Ex his insuper colliges, denominativa non tantùm àb abstractis, sed etiam à concretis derivari posse, v. g. *vestitum*, *igneum*, *terreum* &c. quæ à *veste*, *terra*, *igne* derivantur, & quamvis hæc concreta formæ non sint, significantur tamen ad modum formarum.

363. *Reflexio I.* Ad denominationem tria hæc ferè requiruntur. *Forma*, *subjectum capax*, & *debita forma ad subjectum applicatio.*

Hæc

Hæc autem applicatio vel est identitas formæ cum subiecto, ut fit in denominationibus metaphysicis; vel est Unio intrinseca, ut in physicis contingit; vel est connexio quædam formæ cum subiecto, aut respectus illius, & tendentia ad subiectum, qualis est plerumque in moralibus, & denominationibus extrinsecis.

II. Quando datur in rerum natura nova denominatio, quæ antea non fuit, etiam aliqua datur mutatio, quæ fit vel per productionem, vel per rei cuiusdam destructionem; quia forma tunc denominare incipit, quando incipit esse; sed non potest incipere esse, nisi per mutationem; ergo. Hinc nata sunt hæc axiomata: *Idem manens idem, semper facit idem. Nihil potest transire à contradictorio ad contradictorium sine mutatione.*

## §. II.

*Quid & quotuplex sit concretum?*

364. Dico 1. Terminus concretus est, qui significat subiectum & formam. Subiectum dicitur id, quod accipit denominationem, vocaturque significatum materiale. Forma, sive significatum formale concreti est id, quod denominationem tribuit. v. g. Doctus est concretum; in quo subiectum est res, quæ dicitur docta: Forma est doctrina, quæ rem doctam denominat.

365. Dico 2. Concretum aliud est *Physicum*, quod formam dicit realiter à subiecto distinctam, ut *album*. Aliud *Metaphysicum*,  
cujus